

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Academiae Kiloniensis Prorector et Senatus orationem  
solemnem Augustissimi Regis Christiani VII natali die 29.  
Januarii 1798 habendam indicunt. De Gestu Veterum  
Scenico Observationes**

**Baden, Torkel**

**Kiliae Holsatorum, [1798?]**

**VD18 13382748**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8303**

6

Academiae Kilonienfis  
Prorector et Senatus  
orationem folemnam  
Augustiffimi Regis  
CHRISTIANI VII  
natali

die 29. Januarii 1798

habendam indicunt.

---

*De Gestu Veterum Scenico Observationes.*


---

Kiliae Holfatorum.

Excudebat Christianus Fridericus Mohr.

*Scrisit Tornillus Baden*





---

**S**cenicas veterum fabulas legentibus duplex voluptas proponitur: una, quae aurium est, altera oculorum. Illis numeros legitimumque sonum versuum callemus, atque inurbanum lepido dicto seponimus; his, ut corpori ferrum, sic oratio animo *actionis* ope inprimitur.

Fabulae scriptae actionis exemplaria sunt, eaque verborum gestusque verbis subjecti arcta societas viget, qua sublata neglectave trunca oratio ac debilis compluribus in locis relinquatur. Proinde cum tragicos tum comicos ex antiquitate Poetas versantibus doctis, non raro accidisse constat, ut in sermonibus, inprimis conspicuis plurimumque pollentibus haerent, quorum sensum, e vestigiis artis auxiliariae eruendum, pronuntiationis actionisve, vel ignoratae vel levius ab interpretibus curatae, tenebrae obscurarent.

Neque aliter sane evenire potuit, cum quo gestu singuli partes suas confecerint in Scena actores deprehendendi indiciis Comoediae Tragoediaeque scriptae veterum penitus destituantur. Recentiores scenici auctores, diversam plane a veteribus viam ingressi, sua in praecipiendo gestu diligentia, et pronuntiandi munus artificis (*Instructorem* vulgo nominant) apud histrionum gregem diminuerunt, et fabularum lectori laborem in divinanda actione compensarunt.

Sed illa securitas veterum Poetarum atque consuetudo, gestum personarum agentium in fabulis reticendi: ingens de gestificationis veteris incomparabili ac paene prodigiosa excel-

lencia praejudicium vel peperisse vel aluisse videtur; dum fuerunt, qui censerent, cognitioni plus quam observationi antiquitatem tribuisse, eoque perfectionis fastigio *theoriam* tunc temporis spectatam, quae *praxin* hodiernam bonorum actorum longe post se relinqueret. In ea sententia *Diderottus* fuit, cui accedens *Lessingius*, actorum veterum ab ipsis quidem veteribus tantopere celebratas virtutes in corporis eloquentia efferenda probabiles effecturus<sup>1)</sup>, ad artificialia, nescio quae, eademque arbitraria *signa* confugit, quorum intellectum, uti rebatur, *Scenae* usus atque conventio hominum fixisset. Atqui hanc de cognitione veterum actorum sive *theoria*, contra recentiorum *praxin* magnificata, opinionem, convellere videtur et labefactare ipsa professio summi ex antiquitate histrionis, *Roscii*, qui observationi et exercitationi nihil non tribuens, *artem* extenuaret<sup>2)</sup>. Quod vero artificium veterum actorum in motibus animi proferendis ab illis praetenditur, id quale sit, si a naturali manuum totiusque corporis motu discefferis, nondum comperire potui. Immo dicendi magistrorum ostentationem cavillatur apud *Ciceronem* *Crassus*<sup>3)</sup>, qui, quae maxime propria naturae essent, actionem puta, his ipsis *artem* adhiberent. Huc, nimirum, recidisse cuncta dixerim in comparatione eloquentiae cum histrionica a *Roscio* (cujus librum citat *Macrobius*<sup>4)</sup>) instituta, ut, quae sponte sua homines eloquentes facerent, ea observaverit atque delegerit.

Illud ex contemplatione operum veteris artis scenicorum non postremum capi posse commodum video, ut quasi superstitione liberati homines, in actione priscorum varia multa, neque

1) Laoc. in Append. p. 338.

2) de Or. 1. 29.

3) ibid. 32.

4) Sat. 3. 14.

tamen a recentiori actione diversa intueantur. Qua in re curas defigentes, quae, quantulacunque sint, *Personarum*, et quidem *comicarum* cum scenicis poetis veteris orbis collatione, didicerimus ipsi ac notaverimus, exponere oratione cum maxime properamus.

*De sigillis Personarum ex aere, eorum usu antiquo et consilio.*

In iis, quae scenici gestus, veteribus usitati, intelligentiam adjuvant, praesidiis, insignem locum obtinent figurae sive sigilla e metallo; quorum a *Ficoronio* aliisque comportatorum numerum quoniam accessione nonnullorum, Museum Borgianum Velitris nobilitantium, augendi facultatem fors nobis largita est: antequam ad causam accedamus, e re judicamus esse, de figurarum istarum usu et consilio tam universe quaedam, quam accommodate ad borgiana sigilla disputando praestruere.

*Ideales* nonnemo imagunculas vocaverit, eum in finem excogitatas fictasque, ut actores quarumcunque partium repraesentando, exempla perfectae omnibusque numeris absolutae actionis haberentur. Frequens horum exemplorum usus in meditatione poetarum scenicorum, tam in pictis quam sculptis operibus antiquitatis obviorem; quos sedentes offendimus, atque in componendis fabulis a personis affectus mutuantes<sup>5)</sup>.

Praestat tamen certis nominibus rerum ac personarum asserere, atque ad *Comicos* ipsos referre, quorum in certis partibus fabularum tractandis cognita probataque virtus statuan, jaudis proemium tulerit, quae morum argumentorumque, in quibus eminuissent, monumentum esset. Poterunt sic statunculae repetitiones ac diminutiones justae staturae videri, quarum

5) compar. *Quintil.* 11. 3. 73.



multiplicationem amor hominum ac studium svaferit. Non statuas hic intelligi volumus Tragicorum et Comicorum, quales Athenis in theatro commemorat Pausanias<sup>6)</sup>; iconicas illas, similitudine expressa. Sed simulacra respicimus, eo habitu atque vestitu, qualis moribus quadraret, quibus in scena vicisset Poeta, atque fabularum, quibus excelluisset, argumentis. Talia fortasse, nomine sublato, innuit Aristophanes, nimiam ambitionem Poetarum in adsciscendis Personarum a se inductarum moribus carpens, dum Menesilochum facit ridentem affectationem Agathonis, muliebriter adeo vestiti ac personati; cui occurrens hic respondet, se vestem menti consonam gerere; oportere enim Poetam fabulis, quas doceat, mores convenientes exhibere<sup>7)</sup>. His non abfimile est, quod ex Clearcho refert Athenaeus<sup>8)</sup>, Simonidem Zacynthium in theatro sellae insidentem, fabulas memoriter recitasse, idemque, histrionis more modoque retento, fecisse obscurioris nominis rhapsodum; quorum ostentationi si favor vulgi responderit, quin statua consecrata fuerit, veterum in ingeniosos homines lenitas et obsequium, dubitare non finit.

Sed nugas agimus, qui monumenta, famae *histrionum* perpetuandae posita, vel cogitationis foetus facimus, vel vanitati Poetarum adscribimus. Plures artifices memorat Plinius, Comoedos Tragoedosque tam sculpendo, ut Chalcothenem<sup>9)</sup>, quam pingendo, uti Craterum<sup>10)</sup> et Apellem<sup>11)</sup>, celebritatem nactos. Atque ne altius origines consecratae memoriae acto-

6) Attic. p. 36. ed. Xylandri.

7) Thesmophor. 155 seq.

8) 14. 3.

9) 34. 8.

10) 33. 11.

11) 35. 10.

rum suorum apud priscos repetamus: quis ignorat, quam pauci sint histriones, quos animo aequo spectare possimus, fuerintque? Ad ludos porro Megalenses, funerales et alios, quorum in didascalii Poetae mentio fit, honos statuarum referendus videtur, histrionibus publice habitus, qui partibus personarum, quas defenderent, viriliter functi specimen sui edidissent. Illud singulare, dedicationis honorem ad *servos* in Comoedia praecipue pertinere, sive quod horum imagines majori, quam reliquorum, numero, aetatem tulerint, casuque ita evenerit; sive quod laudum praemiorumque in scena tribuendorum justior, quam in vita hominum, norma probetur, ut qui nuntiorum fervorumque mandata loquantur, acclamationibus multitudinis ditentur, histrioni contra, quamvis diademate ornato sceptrumque gestanti, nemo confurgere velit. Caeterum dici nequit, quam late manaverit iste dedicandi mos, ut ad praestigiatores quoque porrecta sit; quorum in numero Theodorus Acetabularius fuit, cui simulacrum aeneum in theatro populi decreto positum refert Athenaeus<sup>12)</sup>.

Statunculas, suo loco delineandas<sup>13)</sup>, quarum spicilegium meditamus, quod attinet, erutas illas solo Veliterno compertum habemus. Quae res uti per se, propter vetustam urbis *Velitrarum* memoriam, ad commendationem monumentorum facit, ita non leve *scenicis* quibuscunque operum reliquiis, ibi locorum effossis, praejudiciū accedit ex celebritate scriptorum Comico-*rum*, quos inde provenisse constat. *Titinnius* in his fuit, atque *Turpilius*, uterque fabularum auctor, sed quarum non nisi fragmenta monstrantur<sup>14)</sup>. Atque tanto molestius haec jactura

12) l. 13.

13) Accurate certe describendas; namque spem nostram Personas aeri incisās lectori exhibendi, cunctator destituit chalcographus.

14) in Henr. Stephani *Fragm. Poet. vet. Latinor.* p. 291 et 304.



ferenda est, quod mores hi consuetudinesque oppidanorum expressisse videntur, nomenque ex re fabulis suis indidisse: *Veliterna*<sup>15)</sup>. Verum haec usque adeo extinxit aetas et obliteravit, ut praeter mentionem *riculae* sive ricinii in Veliternis mulieribus, nihil prorsus memorabile contineat fragmentum Sexti Turpili.

Hoc incommodi omnibus accidit, qui ad scenam veterem illustrandam animum applicant, ut in tanta Comitorum romanorum, qui interciderunt, vastitate, monumentorum in hoc genere sat numerosorum otiosum plerumque remaneat spectaculum; cum quo referre aut cui assignare personarum agmen possis, praecunte poeta raro invenias. Neque hic tam desiderium querimus Poetarum, ut Afranii, Naevii, Caecilii, quam eorum potius, qui, Atellanarum scriptores, ludicra argumenta, et quicquid oculos animumque multitudinis accenderet, tractando, famam et existimationem possiderunt. Namque jocularia fere et deridenda sistunt personae, in quibus corradendis cura Ficoronii versata est. Nos quidem in his rebus extra *Comoediam* nihil sapimus, huc curas omnes conferentes, ut quae gestui Comoedorum illustrando aliqua ratione inservire possint, circumspiciamus. Qua in re et olim et nunc his nos solamur elementis:

Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

#### *De Personis servorum currentium.*

In monumentis scenicis veterum nullum aequae frequentari observavimus, quam quod *servi currentis* in Comoedia lassitudinem exprimat. Nam et Ficoronius<sup>16)</sup> atque Montefalconius<sup>17)</sup>

15) Vid. Vulpii Vetus Latium Tom. 4. init. ibid. pag. 70 de *ricula*.

16) de larvis scenicis Fig. 18.

17) Antiq. expliq. Tom. 3. P. 2.

habent, et pluribus in Museis, uti Kircheriano Romae et Borganiano Velitris visitur. Imagunculae hae ex aere sunt, ad unum idemque omnes exemplar factae, etsi arte dispares. Fingas tibi figuram hominis, trunco quadrangulari insidentis, dextraque manu reliquum corpus, ne ad terram feratur, sustentantis; his sinistram inertem desidentem adde pedesque decussatim pendentes; caput denique languide in humerum declinatum, motumque manus dextrae subsequens: effigiem habebis hominis, ambulando defatigati, gestumque adeo et spectaculum *Parmenonis* alicujus, cursando rupti, Terentianis verbis congruum<sup>18)</sup>. Caeterum pallium gerit, ex altero humero suspensum et super genua collectum<sup>19)</sup>.

Notum praejudicium est, quo ductus *Diderottus*, *Davorum* partes in veterum Comoedia dedignabatur<sup>20)</sup>. Fecit hoc, eadem usus reprehensione gravissimus auctor, qua *famulorum* ministerium in recentiori fabula exosus, *Scena* exterminandum censuit. In quo vereor, ne rem ad nostrum sensum dijudicando, quid mos antiquus suaderet, veterisque scenae usus commodum duceret, parum pensi habuerit. Est aliquid inter *Davum* famulumque, cujus si concordent moribus dicta, inurbanam, si secus, mentitam personam in nostra fabula merito appellaris. Fraudem disturbat et hoc, quod arcana sua, quibus honeste in vita concredere domini diffidunt, iidem intime cognita et explorata habere praeter rationem in theatro finguntur. *Davum*, familiarem domi, ut qui maxime, qui tanquam subditium familia submovere *Scenicus* sibi permisisset: is vero imitationis veritati spectaculique gratiae non leve detrimentum

18) *Hecyra* III, 4 ibique *Donat.*

19) Sic quoque *Epidicus* currens (II, 2.) assimilaturus, quasi per urbem totum hominem quaesiverit, palliolum in collum conjicere jubetur.

20) In *Theatro* p. I, p. 290.



attulisset. Habebat ex utroque mixtam et temperatam indolem Davus, humilitate ac magnanimitate; quarum illam, quae fortem sequebatur servilem, ab hac, quam exemplum ingentiorum et proborum contubernium formaverat, fecernentes veteres ac segregantes, partem, quae nobilior esset, in Palliata retinuerunt, alteram plebejam ac fordidam in Togatam detrudentes<sup>21)</sup>.

Interim fabulam e Terentianis unam citat Diderottus<sup>22)</sup>, nulla Davi persona spectabilem, ut quam exclusam studio amovisse Poetam<sup>23)</sup> arbitratur, ne ridiculae personae interventu verterentur seria ludo. Hecyra nomen fabulae est; in qua si parcius, quam in caeteris, opera Davi usus sit Poeta, non id fastidio personae fecisse, sed rebus omnino dedisse nobis videtur. Eo enim, quo res ibi cernuntur loco, nihil erat, quod Davum ante alios praecipue celatum vellet herus. Pamphilum, cur simultatis, quae ipsi cum uxore fuit, veras causas non Davo soli, sed qui aderant, pariter omnibus tegetet, complura concurrebant, quae invitarent; cum, ne pudorem puellae vitiatae vulgaret, proprius pudor stimulare, et lacrymae matris obsecrantis, uti adversa filiae per ipsum tecta tacitaque apud omnes essent<sup>24)</sup>. Hinc praeter matrem virginis novumque maritum, morbi, quo laborat misera, injuriaeque alter nemo conscius. Idem omnibus error; et quae suspicio pridem animos pepulit, in discrimine rei sollicitans: eadem (quod mireris,) vel detecto posthac per anulum errore, manet neque minuitur quidquam. Quae res, uti fabulae personis mira et insolita occurrere debuit, ita nec opinantibus spectatoribus accidit, qui

21) Donat. ad Eunuch. I, 1.

22) I. c. p. 281.

23) Hecyra III, 3.

24) III, 3 in fine.

dum exitum fabulae expectantes sedent, novo defensionis genere a Poeta dimittuntur<sup>25)</sup>:

placet hoc non fieri itidem, ut in Comoediis,  
Omnia ubi omnes resciscunt. Hic quos par fuerat resciscere,  
Sciunt; quos non autem scire aequum est, neque resciscunt,  
neque scient.

Equidem Parmenonem hic nullatenus inferiores, quam in reliquis fabulis Davus, partes peragere autumo, atque Donato assentior, qui Parmenonem *curiosum* per totam fabulam eundemque garrulum inductum a Poeta, optime vidit. Lepidis moribus hominis impense hic ut aliás plaudimus; sed eo discrimine, ut, quem familiarem domini aliunde cognovimus, eundem usu interiori cum hero orbatum, quo se gerat pacto, scire valde aveamus. Huic oblectationis varietati prospiciens Terentius, importunae ac pertinacis garrulitatis, ideo sese macerantis, quod non expleatur curiositas, signa manifesta collegit<sup>26)</sup> atque in Parmenone suo composuit.

Illud de Parmenone hujus loci promittere vix ausim, tanti ejus personam habitam olim fuisse, ut arte repetita celebraretur. Sed crebra rei simulacra, actorisque eodem officio functi totidem vestigia, argumento sunt, habuisse partes fervorum currentium, quod veteribus insigniter in scena arrideret. Ac ne uno exemplo contenti esse videamur, maxime illustria ex hoc genere partium, quibus artem comicam nobilitare fabularum auctores veteres rati sunt, indicia, age, subjiciamus.

Servos currentes plures scripserunt<sup>27)</sup>, ad personam assidue decurrentes, quam maximo cum labore agerent histriones,

25) Sc. ult.

26) in primis: I. 2. III. 1. 2. 4. V. 3. 4.

27) Terent, Prolog. ad Eunuch.



summo clamore requirent theatra<sup>28)</sup>. Terentius hanc personam, ut et alias populo sui temporis jucundas elevando: odio in adversarium, non per contemptum argumenti ita pronuntiassè, facile vincitur. Namque *Lucium Lavinium* vellicans, qui seruo currenti populum in via decedere fecisset: id si duxerit vitium, cur *Plauto*, similis culpa reo, concessit? *Acanthio*<sup>29)</sup> et *Curculio*<sup>30)</sup> nomina fervorum currentium e Plautinis fabulis sunt, qui populum turbulente submoventes, viam faciunt sibi. Neque sane gravitas Terentii personam, ejus aevi hominibus tam cupide expetitam, in Comoedia respuit. Quanquam is est Terentius, qui praeter decorum servi, nihil fingat. Ad sensum plane deductum vereque expressum *Geta* habes, ut anhelantem et ob id praerupte mandata exponentem audire tibi videaris<sup>31)</sup>:

*Sostr.* Quid est? quid trepidas? *Geta.* Hei mihi? *Sostr.* Quid festinas mi Geta?

Animam recipe. *Get.* Prorsu? *Sostr.* Quid istuc prorsus ergo est? *Get.* Perimus.

Actum est. *Sostr.* Obsecro te, quid sit. *Get.* Jam. *Sostr.* Quid jam Geta?

*Get.* Aeschinus. *Sostr.* Quid ergo is? *Get.* Alienus est —

Cum hoc *Acanthio* plautinus, qui conferatur, dignus est, anhelans idem et lassus, ac veluti praesens oculis conspiciendus. Namque veritatem imitantur magis quam suscipiunt tam *Epidi-*

28) Prolog. ad *Heautontim.*

29) *Mercator* I. 2.

30) *Curcul.* II. 3.

31) *Adelphi*, III, 2.

*eus currens*<sup>32)</sup> quam *Leonida*<sup>33)</sup>; in quibus lassitudinem jactari magis:

non vides

Me ex cursura anhelitum etiam ducere?

quam esse, apparere omnibus puto. Nihil hisce sensu cassis personis cum vivis coloribus Terentii, atque simulacris ex aere vitam spirantibus commune.

Postremo notandum, non temere esse, quod trunco insidentem servum currentem exhibent imagunculae antiquae; quo habitu corporis describitur Curculio in Plautina, qui prae languore *sellae* insidens nuntium suum narrat.

### *Gestus servilis, quid?*

Mentionem gestus injiciunt veteres scriptores, qui ex eo, quod servis in Comoedia proprius esset ac peculiaris, *servilis* nomen traxit<sup>34)</sup>; de quo oratoriae artis magistri ita loquuntur, ut nihil, imitatione servorum scenicorum, oratori aequè fugiendum praecipiant. Ut enim non oratores modo, sed etiam actores intuendos sibi judicabat antiquitas<sup>35)</sup> atque in oratore gestum pene summorum actorum requirebat<sup>36)</sup>; ita scenae imitationem longissime vitandam duxit in iis, quae facie magis, rictu oris, labiorum ductu corporisque distorsione ridicula essent, quam sensu atque facetiis<sup>37)</sup>. Talis servorum gesticulatio fuit; celeri motu et difficili notabilis, atque eorum, quos ut in fo-

32) Epidic. II. 2.

33) Aeginaria II. 2.

34) Donat. ad Andr. I. 2. Quintil. XI. 3.

35) Cic. de Orat. I. 34.

36) de Orat. I. 288.

37) ibid. II. 61, III. 59. Quintil. XI. 3.



etiam in scena *Statarios* appellabant, simplici in agendo nec molestae veritati opposita<sup>38)</sup>).

Interiores, per quas agnoscat gestus fervilis, notae hae fere sunt. Agilitas, qua ad nutum heri advolantes ferve, summa festinatione jussis vixdum auditis exsequendis sese accingunt. Abjiciunt se, pendentque non auribus modo, sed toto corpore ab ore imperantis<sup>39)</sup>. Tale obsequium illorum esse debuit, quos crepatione digitorum heri vocabant<sup>40)</sup>.

Paraturus aliquid Davus profilit alacer, ferturque citato cursu<sup>41)</sup>).

Corpus jactant curiosorum more et observantium, quid agatur; interdum manu simul ad os opposita<sup>42)</sup> silentium sibi facientes; suspensio quoque feruntur gradu, ita parati semper, ut qui, rebus urgentibus, clam se subducere possint<sup>43)</sup>.

Magna concursatio eorum et agitatio corporis, si quando consiliis dominorum adhibentur, ut qui magni aliquid et vultu et manibus denuntiant<sup>44)</sup>. Manibus adeo pedibusque certant, dum profint hero<sup>45)</sup>.

Suspicionem amoluntur pectore ventreque projecto, palmisque protensis<sup>46)</sup>.

38) Brutus 30 et 68.

39) Vid. Terentium cum Personarum figuris Mainardi, ibique Fig. 3. f. Sofia ex Andria I. 1.

40) Martial. III. 82.

41) Andria V. 6. Fig. 130.

42) ibid. V. 4. Fig. 17.

43) ibid. I. 2. Fig. 4. II. 2. Fig. 9.

44) ibid. II. 4. Fig. 11.

45) ibid. IV. 1. Fig. 19.

46) ibid. III. 2. Fig. 15.

Exclamant crebro, dominorum iram perhorrescentes, motuque eo laterum, qualis esse ad verbera solet<sup>47)</sup>, capite in humeros contracto, ut qui miserabili visu flagrum se in tergo praesentire indicant<sup>48)</sup>.

Exclamant pariter in admiratione, manum immodice allevantes<sup>49)</sup>.

Interdum stupore correptos cernere licet, capite retroacto brachiisque incurvatis et una cum reliquo corpore rigentibus ita, ut brachio exerto introspiciatur latus<sup>50)</sup>.

In indignatione denique humerus alter contrahitur manusque deorsum tenditur<sup>51)</sup>. Sed ea humerorum contractio, et allevatio, auctore Quintiliano<sup>52)</sup>, raro decens. Breviatur enim, sunt verba ipsius, cervix, et gestum quendam humilem atque *servilem* et quasi fraudulentum facit.

Oris depravationem, comicis servis assignem, an personae de mimo, haesito. Locus saltem Ciceronis<sup>53)</sup>, quo gestus intemperantiam exagitat, de mimis rectius quam de comicis actoribus intelligendus videtur.

#### *De scurrilitate verberum in scena.*

Marmor anaglypho opere caelatum est; Museum Herculanense tenet, quod similitudinis, quae rebus effictis cum tabella comica in personato Terentio Vaticano intercedit, seducti docti viri, argumentum scenae ex Andria Terentii adumbratum sistere in animum sibi induxerunt. Primus *Casp. Bartholinus*

47) Damnat hunc Quintil. XI, 3.

48) Andr. III. 5. Fig. 18.

49) Eunuch. I. 2. Fig. 2.

50) Adelph. V. 1. Fig. 20. Damnat hunc pariter Quintilian, loc. cit.

51) Eunuch. II. 1. Fig. 3.

52) loc. cit.

53) de Or. II. 61.



fuit<sup>54)</sup>, qui monumentum scenicum, ex *Fulvii Ursini* libro manu exarato, ut scribit, communicatum secum, in lucem proferret aeri que incisum exhiberet. Verum is, uno tibiaram negotio distentus, quarum gratia sculpturam veterem excitat: personarum auctoritatem et argumentum penitus intactum integrumque omisit. *Ficoronius*, diligens operum scenicorum ex antiquitate investigator, Terentium et ipse fundum interpretationis retinens, scenam certam *Andriae* terentianae, monumento Herculansenfi illustrando idoneam, subjecit<sup>55)</sup>. Qua quidem in re, famae plus atque incertae fidei quam consilio atque rationi tribuisse, praejudicium quoque scenae illius in Marmore representatae propagasse verius quam praeivisse virum eruditum existimo. Illud namque diversitatis inter picturam Vaticanam<sup>56)</sup> atque sculpturam Bartholinianam observatur, quale si Ficoronio innotuisset, qua fiducia Terentio impu- taverit, quae hujus non sunt, haud sane intelligitur. Ut suspi- cari aliquis possit, arbitrio hominum et conventioni, quae mo- numentis veteribus subinde nomina imponit a rebus aliena, appellationem suam marmor nostrum acceptam referre; nomi- nis vero consensum ansam dedisse, ut cum pictura explorati minimeque dubii argumenti e nobilissimo Codice permutaretur, altero alteri absque suspitione erroris substituto. Nullus enim dubito, quin veteris Comoediae schema istud, quo tempore vulgaret Bartholinus, aedes Farnesinas Romae ornaverit, unde hereditate ad domum Parthenopes cum reliqua rerum antiqua- rum collectione gentis istius venerit.

Quicquid ejus sit, Schematis, quod proposuit Bartholinus, repetiit Ficoronius, a pictura Vaticana discrepantiam praeter

54) de Tibiis Veterum p. 221.

55) Act. V. 2. compar. Ficoron, Fig. 2.

56) Mainard, Fig. 25.

alia ostendunt: partim locus actorum obstructus ibi peripetasmatis, Scenaque capitibus bubulcis caeterisque ornamentis decorata; partim virga sive baculus incurvus in manu senis alterius; denique tibicinis in personis terentianis nusquequam occurrens imago et usus. Quae quidem omnia, quoniam in personato Terentio Mainardi frustra quaeruntur, ejusmodi sunt, ut similitudinem sculptarum personarum cum pictis suspectam facere debeant; etsi *terentianum* haud esse Schema, allatis rationibus nondum efficitur. Huc igitur jam studium conferatur, ut quo successu Andriae Terentii monumentum, de quo sermo est, scenicum accommodatum sit, quaeratur.

In eum locum res a Poeta deductas cernis, ut catastrophem feliciter citra spem agentium mox cessuram quivis merito sibi polliceatur. Obstat adhuc tamen promptus ad suspicandum animus *Simonis* senis, quominus *Davo*, *Glycerii* honestum genus atque fortunam cum maxime ingenue aperturo auscultare velit. Hunc narrationem suam vix exorsum medio sermone intercipit senex neque ultra fari finit, dolos serviles ad dissolvendas nuptias Pamphili filii cum Chremetis attici civis filia excogitatas, identidem metuens herus. Quin adeo, qua praecipitantia mentis agitur, *Dromonem* lorarium alta voce accersit, qui *Davum* intro rapiat sublimem vincitumque adservet.

Parum illi *seriam gravitatem* <sup>57)</sup> romani comici adsecuti mihi videntur, qui senem nostrum verberibus in *Davum* saevitum statuunt; atque immoderationis hujus, in *Comoedia* nequaquam ferendae, exemplum perhibent servum illum coram populo flagello mulcatum, schemate Herculansenfi, indignum visu, effigiatum. Consentunt in eo artis magistri, plagas et verbera, vel tristem vel nullum in *Comoedia* effectum habitura, atque, nisi misericordiae sensum, ab hoc fabularum genere exsulantem,

57) Qualem Donatus laudat ad Terentii Adelph.



motura, ad risum spectatoris captandum unice comparata, comico Dramati sumroperere adversari; neque posse ea, quae tragicæ severitatis sunt, absque seurrilitate, a Comoediæ scriptore scenæ mandari<sup>58)</sup>. Quas quidem regulas, si vel una cogitationis subtilitate niterentur, veritas ipsa nomenque eorum, qui scripsere, commendaturum incolumesque præstiturum videtur. Nunc vero quoniam et antiquitatis, veri omnis pulchrique moderatricis, observatione præstructæ sunt, et eorum, qui plurimum virium in arte comica habere putantur, ratione confirmatæ: haud mirum, si quamvis violationem ejus, quod sensus antiquus aequæ ac hodiernus decorum in his partibus probavit, hac trutina ponderetur, ad hanc perticam exigatur.

Aristophanes, elegans imprimis et venustus Comoedopoëta, magnam ex ea re laudem adeptus est, quod nugis theatri sublatis, cum aliâ omnia ridicula magis quam faceta atque sannionis potius dexteritatem quam actoris artem requirentia, Comoediæ exterminavit, tum<sup>59)</sup>.

fugientes et verberibus caesos et decipientes

Hæ vituperans primus depulit, et servis vincula solvit,

Quos inducere semper anabant plorantes, atque ob id unum,

Ut conservus ridens prægnates huic tumices, roget ista:

Miser heu, tua quid patitur pellis? num tibi duri populavit

Lori latera exercitus atrox et tergi arbutta secavit?

Neve putes ad hunc venustatis Atticæ gustum hebetiores sensu fuisse Romanos; en concinna ad Terentium<sup>60)</sup> observatio Donati animadvertentis, modo omnem *saevitiam comicam* aut in comminatione esse aut in apparatu verberum. Quae caute sic

58) Diderot. I. 285. compar. Lessing. Dram. II. 28.

59) Pax V. 741. seq.

60) Eunuch. V. 6.

posuit Donatus, probavit Terentius, ad nullam, ne incitatoris quidem argumenti, videlicet Eunuchi scenam, nedum in fabula sedatioris indolis, qualis *Andria* est, verberum ministerio absurdum in modum usus.

Hic aliquis forsitan mihi *Sannionis* in *Adelphis* cum *Aeschino* concertantis dentes omnes labefactas objecerit, colaphis tuber totum caput, lorisque tergum opertum. Sed locum adspice, quo constituuntur ambo, ut quanto vehementius lenoni vapulanti irascaris, tanto paratiorem adolescenti verberanti veniam esse velis. Atque homini lenoni quidem nihil nimis grave et quod miseratione vel indignatione spectatoribus dignum visum esset, accidere potuisse videtur, ut quem pestem, perjurum, perniciem communem adolescentum detestari, cui quoque mala quaevis ac dira imprecari solebant. Tanta lenonina disciplina apud Terentium invidia vrgetur, ut velut abjectissimae fortis homines constanter ab eodem inducantur iisque coloribus denigrentur, quibus nec Davorum nec ipsarum unquam meretricum mores sistere a se impetrare potuerit. Davus, servus licet conditione at mentis ingenuitate pro ea, qua Terentius induere persona amavit, libero ulli vix cedens, lenonem, quamvis libertate sua contra servum superbientem, ea odii liberalis acerbitate persequitur, quae multitudinis animos ad benevolentiam allicere debuerit. Namque impurissimus Davi ore audit leno, atque servorum aliquis personam descripturus non secus ac in Phormione Geta<sup>61)</sup>, consideratione ejus cohortet. Hi quippe juvenes, paedagogi servi curae creditos corrumpabant, omnia, quae docuisset ille, monuisset bene, praecepisset sedulo<sup>62)</sup> suis lenociniis inquinando et obliterando. Quicquid delinqueret Davus, obsequio magis et indulgentia in heriles filios, quam

61) Phorm. I. 2.

62) Adelph. V. 9.



perversitate aliqua naturae morumque turpitudine deliquisse judicabatur; dignus ob id, cujus uti vitia nunc excusentur, nunc tegantur crebro a Poeta, ita personam partesque in Comedia non ferant modo sed adamant quoque homines.

Ejus farinae vapulans iste terentianus nebulo est. Quid Aeschinus? Adolescens hic fingitur pecuniosus idemque per insolentiam eos laceffens, quos obnoxios sibi videret. Non flagitiosus ille, nec citharistriae quamvis depereat amore, vel famam potius amoris in se transferri patiatur: omnis animo pudor recessit juveni, ignominiose vappam tractanti, aequiorem fortem haud promeritum. Et illud observandum, proprio Marte Davum, non quod ita jussisset aut innuisset herilis filius, manus inferre lenoni; atque minis, saevitiae comicae finibus, hic quoque transactum negotium fuisse, nisi praeceps Davi ira locum sanis consiliis praeclusisset. Effectum denique verberum, tibicina arguit lenoni erepta, commodiori via juveni, cura ancipiti distento, difficulter reddenda.

Nihil horum in *Andria* deprehendere datur. Nullum, ne tantillum quidem, ex verberato Davo ad promovendam actionem momentum accedere novimus; ut, si caedatur hic, id modo iracundiae explendae, minime secreti alicujus, quod fervet iste, extorquendi causa jussisset Senex putandus sit. Nam secretum ingens de Glycerio, *cive Attica*, quamvis neque Davum neque spectatores admodum falleret, praeter *Critonem* nemo tamen aperire planumque facere potis erat.

Pater ille Terentii, summum probrum filii ex uxore, meretricis sorore credita, veritus quo avertat; id agit, ut Chremetis ei despondeat gnatam, opibus et honore valentem. Davum simul participem consilii facit, quo filium pertentet atque illiberales, uti ferebantur, amores suadendo ipsi eripiat. Quae servis mandant domini, absque minis raro consummari cernis.

Itaque Simo morem servans<sup>63</sup>):

Si fensero hodie quidquam in his te nuptiis

Fallaciae conari, quo fiant minus:

Aut velle in ea re ostendi quam sis callidus:

Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad  
necem —

Mox tamen festivum rei colorem inducens atque subjungens:

Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te  
molam

comicum *decorum* probavit restituitque in locum. Minis ultio respondet, atque fenex, quamvis, negotii suspiciosissimi nullum exitum inveniens, exardescat, *vinculis* tamen contentus est. Quin modum vel sic excessisse, duriusque, quam paternus in filium amor hujusque cum Davo necessitudo concederet in servum animadvertisse se, ultro posthac fatetur fenex. Rebus enim per Critonem pacatis nubeque errorum dispulsa, Pamphilum de Davo percunctantem respondendo eludere quaerit Simo, ut, quod juveni molestum auditu foret, vinctum illum esse, ipsi aliquamdiu reticeat. Hinc illa fenis:

Non potest venire;

et sciscitante filio:

habet aliud magis ex sese et majus;

tandem professio ipsa:

vinctus est.

Neque minor est admiratio simplicitatis in admonitione filii:

Pater, non recte vinctus est,

quam humani ingenii in responsione patris:

Haud ita iussi<sup>64</sup>).

63) I. 2 fin.

64) V. 4 fin.



Quid plura? Vinctum Davum verba poetae loquuntur, talemque omnino tabella comica vetusti libri scenae huic praefixa repraesentat, personam utriusque senis adpicta, quorum alter, Chremes nomine, litiganti tumido ore patri, ne saeviat ultra, moras neectere gestit. Quae quidem vera genuinaque rei imago, quantum a vapulari sermo schematis Ficoroniani discedat, tantum Comici prudentia et modestia ab Exodiariorum rufficitate distare existimari debet. Equidem ludicrae fabulae, nobis ignotae, scenam respexisse auctorem schematis dixerim, jocularisque argumenti indicium adtulerim flagellis *ad tibiam*, barbarice pariter<sup>65)</sup> atque ridicule caesum in illo seruum. Siquidem quo jure atque successu in Terentii fabulam tractum schema vidimus; eodem de plautino argumento interpretari licebit. Totidem enim, quot in schemate sunt, personas offerunt *Captivi* Plautina, atque argumentum indiscretae similitudinis cum Terentiano illo: *Hegionem*, puta, senem, hujusque jussu vincula expedientem *lorarium* in *Tyndarum* servi nomen mentitum, obloquente *Aristophonte*, sicut apud Terentium *Chremes*<sup>66)</sup>, Verberibus nuspiam locus in scena.

### *Gestus senilis.*

Gestus scenicus personatis Terentii valde solemnus, is est, quo manu, digitis collectis, ori admota deducitur oculus. Late patet hic gestus, cujus rationem usumque, licet ex parte tantum, cognovisse expedit, ut personas in imitationibus artis veteris hoc gestu crebro agentes quo referre possis, tibi suppetat. Indagandi molestiam minuit hoc, quod eadem apud Italos ad nostram usque aetatem vigeat gesticulandi ratio, quibus eodem sensu eademque inconstantia rebus accommodare cum veteri-

65) Pollux Onom. IV. 7 extr.

66) Captivi III. 4 extr. et Sc. 5.

bus moris est. Plurimum affinitatis cum altero gestu habet, quo livoris affectum significare Itali solent<sup>67</sup>); cui si nigrae fucum loliginis, id est, manum a tergo loquacem demseris: gestum scias te habere Simonis senis<sup>68</sup>), qualis Critoni occurrit, rem omnem, uti esset, de Glycerio fideliter enarraturo. Hospitem, incognita causa, dolos inaniter usque metuens pater, dudum ante oculis designando in suspicionem vocat. Hinc senum comicorum moribus apprime conveniens gestus.

Sed et eorum est, qui aliquid videre aut scire praegeffiunt, uti Menedemi aucupantis verba Clitiphonis<sup>69</sup>); et in irrisione locum habet, quo modo jactantiae Thrafonis Thais respondet<sup>70</sup>).

Commode porro gestum adhibere eos cerneris, qui rem captant, aut imprudentem et aliud agentem aliquem deprehendunt; quem ad modum Demea pater Aeschini gnati<sup>71</sup>), Syrus fervus Demeae senis<sup>72</sup>) sermonibus, nemine sentiente, imminet.

Denique ab iis frequens assumitur, qui perturbati trepidis in rebus versantur; quo statu Sannio conspicitur<sup>73</sup>), qui ad incitas redactus a Syro, corpus ita componit, ut illud multarum difficultatum: *Hem referre videatur*<sup>74</sup>).

#### *Meditabundus.*

Gestum simplicitate, ut qui maxime, commendabilem, nec uni personarum comicarum generi, sed pluribus ac, ni fallor, omnibus communem, sigillum quod sistimus praefert. Rem

67) Mimif von Engel Th. I. Fig. 1.

68) Andria V. 4. Fig. 27.

69) Heautont. V. 2. Fig. 20.

70) Eunuch. IV. 7. Fig. 17.

71) Adolph. V. 7. Fig. 25.

72) ibid. IV. 2. Fig. 14.

73) ibid. II. 2. Fig. 5.

74) ibid. III. 2. Fig. 9. IV. 4. Fig. 16. Phormio I. 3. Fig. 4. V. 2. Fig. 19.



ipsam, id est, statum personati prius cognoscamus; deinde fortasse non magnopere quaeremus, quo nomine appellandum putemus. Igitur histrio de comoedia proponitur, ferviliter ornatus atque eo collocatus actu, ut vultum adducat, pedibusque decussatis dextram conversam mento suppositam sinistra sustentet. Plautinum hunc possumus dicere, utpote qui servum de *Milite glorioso* refert Palaestrionem, cujus situm Periplectomenes, per singulas partes eundo, accurate nobis describit<sup>75)</sup>. Is, dum consilia sibi in animum convocat volutatque secum in corde, quid agat, nunc frontem corrugare dicitur, nunc pectus digitis pulsare, tum laeva niti, mox dextera digitis rationem computare, crebroque commutatis statibus tandem in eum locum devenire, quo nostrum contuemur positum<sup>76)</sup>:

Ecce autem aedificat; columnam mento suffulcit suo.

Apage, non placet profecto mihi illa inaedificatio,

Nam os columnatum Poetae esse inaudivi barbaro,

Quoi bini custodes semper totis horis ad cubant<sup>77)</sup>.

Eodem prorsus statu, at multo vegetiore, Davus in *Andria* consilium quaerit, quo effectum reddat, ne pater per filium Pamphilum stetitisse credat, quo minus fierent nuptiae<sup>78)</sup>. Sic quoque formatum, etsi paululum immutatum, gestum Phaedriae attribuit pictura Vaticana<sup>79)</sup>, cum diceret illa, veterum oratorum laudibus celebrata<sup>80)</sup>:

Quid igitur faciam? non eam? etc.

75) II. 2.

76) vers. 54. seq.

77) De Naevio explicant interpretes, qui in commentando solebat manum mento suffulcire: atque de vinculis ejusdem.

78) IV. 2. Fig. 20.

79) Eunuch. I. 1. Fig. 1. IV. 2. Fig. 12.

80) Quintil. XI. 3. "Hic dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diversos vultus actor adhibebit."

*Leno.*

Lenonem uti moribus detestabilem, ita specie deformem comicus scriptor proposuit. Morum turpitudinem cum actiones dictaque hominis in scena evincunt, tum summam absolvit Plautus<sup>81)</sup>:

Daemon. Quis istic est, qui Deos tam parvipendit?

Trachal. Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenus,

Legirupa impudens, impurus, inverecundissimus;

Uno verbo absolvam, leno est; quid illum porro praedicem?

Hisce moribus designandis, ecqua species aptior, quam illa de Museo Borgiano Personae, cujus foede prominens labium spectatur corpusque supra modum ventriosum et simul procaci factu manibus retroactis<sup>82)</sup> projectum. Adde caput glabrum, oculosque horride depresso et conditos: scias durum illum te manibus contrectare lenonem, juvenum contumelias perpeti servorumque injurias devorare solitum. Hanc simulacri rationem etsi nulla subtilior descriptio et imago poetarum comicorum explicet: magna tamen ex parte, qui confirmet, lenonem habemus Cappodocem, et qui huic opinione aegro insultat, Palinurum<sup>83)</sup>. Queritur ille solus:

Valetudo decrefcit, adcrefcit labor.

Nam jam quasi Zona liene cinctus ambulo.

Geminos in ventre habere videor filios.

Nihil metuo, nisi ne medius difrumpar miser.

Hic autem, conspecto lenone, interrogat anceps:

Qui hic est homo

Cum collativo ventre atque oculis herbeis?

81) Rudens III, 2, v. 36 seq.

82) compar. Engel I. pag. 112 Fig. 5.

83) Curculio II, 1, v. 4 seq.

D



De forma novi, de colore non queo  
Novisse. Jamjam novi: Leno est Cappadox.

*De mulieribus scenicis.*

Mulierum scenicarum nullum memorabiliorem gestum novimus, nisi quod nuntio aut alia quacunque re exterritae, subfilire reperiuntur, animique paene deliquium pati<sup>84</sup>). Plus illae quoque quam viri, argutiis digitorum indulgent, gestumque maxime communem eum praefertunt, quo exprobrantes arguentefve medium digitum in pollicem contrahunt explicitis tribus.

Foeminearum partium ea tenuitas olim in scena obtinuit, quae uti Personae inimica, gestum Scenicarum angustiis finibus cohiberet. Puellarum quidem liberalium in palliata Comoedia nulla neque persona neque oratio in proscenio inducitur, praeter invocationem Junonis Lucinae a parturientibus, quae ipsa quoque post scenam fieri solet<sup>85</sup>). Quae observatio, etsi ad omnes Comicos haud porrigenda<sup>86</sup>), in Terentium certe convenire putanda est. Matronarum vero ancillarumque brevior mora rariorque auditur vox in scena, angustiorem quoque his campum vulgo fors dedit, quam in quo excurrere virtus corporis cognoscique possit.

84) vid. Mysis per Andriam.

85) Donat. Praefat. ad Andriam. Idem ad Andriam III, 2. compar. Aulularia Plauti, IV. 7.

86) Palaestram puellam liberalem scimus ex Rudenti Plauti, haud infrequentius, quam caeteri personati, in proscenio comparentem, ut quae libere, nec secus, ac reliqui agentes, abeat redeatque, diverbio intersit, verbosiusque quam caeteri omnes, secum colloquatur, I. 3. Quae res indicio est, animadversionem veteris Grammatici, qua Terentii morem proprie spectaverit, de Comici in genere intellectam, communiter extulisse mangones, quales expertum Donati textum norunt omnes.

Illud nescio, si quando foemineae partes laboriosae in fabulis locum invenirent, utrum histrioni muliebriter vestito mandaverit antiquitas, an ad veram germanamque foeminam deferendas censuerit. Ita *Mysidis* personam pro magnitudine officii, quo fungitur in *Andria Terentii*, veram mulierem sustinuisse si conjicimus; facimus id, cujus arbitrium nobis permittit cognita veterum industria in removendis iis, quae scenicae illusioni veritatisque repraesentationis aliquo modo obessent. Ad hoc efficiendum in levioribus quidem partibus (quales foeminarum pleraeque in *Comoedia* sunt) satis in ipsa Persona praesidii fuit, quae sexum mentitum histrionis spectatori occultaret, tantoque tutius occultaret, quanto parcius loqueretur ipsa aut in *Scenam* prodiret. At longioribus scenis et quae contentionem agentis, varios crebrosque sermones requirerent, una personae impostura jejune admodum consultum fuisset, si nativus motus, decor foemineus, morum teneritati aequalis loquela sequioris sexus defecissent.

Quocirca miror, insignem veteris Grammatici locum, qui tantum lucis hisce tenebris affundit, quibus foeminearum partium actio apud Veteres involuta cernitur, eos effugisse, quorum in difficultatibus rei pro virili expediendis sollertia laudatur. Exemplum illustre foemineae personae praeter solitum in *Comoedia variatae*, *Mysis* in *Andria* offert, cujus inductione parum interrupta, atque accommodata ad vocem in affectata gesticulatione mirabundus Donatus<sup>37)</sup>: "vide, inquit, non minimas Partes in hac comoedia *Mysidi* tribui, hoc est, personae foemineae; sive haec personatis viris agitur, ut apud veteres, sive per mulieres; ut nunc videmus." Inde duo probabiliter colligimus; partim videri mulieres pro re nata munerisque quo fungerentur in fabula, gravioris conditione, a veteribus

37) ad *Andriam* IV. 3.



sine offensione introductas; partim Grammatici aëvo mulieres constanter partes habuisse, quas personati histriones olim peragerent.

*Parasitus.*

Ultimum in gesticulatione locum Parasito adsignamus, sicut derisori veteres in imo lecto. Actorem parasitum gestus liberior, et qui pro mobilitate personae, quam indueret, in horas mutaretur, theatris commendasse videtur. Nunc enim idem fit *Gelasinus*, nunc *Plagipatida*, nunc edax et qui octo hominum munus facile fungatur<sup>88)</sup>; aliumque ex alio gestum vultumque capiendum sibi videt. Cibo distentum et obrutum mero Terentius Phormionem suum induxit, ubi interrogat<sup>89)</sup>:

Itane patris ais conspectum veritum hinc abiisse? Get.  
Admodum.

Phormio. Phanium relictam solam? Get. Sic. Ph. Et iratum senem?

Get. Oppido.

si quidem vera narretur fabula de Terentio et Ambivio actore ebrio<sup>90)</sup>, qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter atque aurem minimo in scalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit versus; quibus auditis exclamaverit poeta, se talem, cum scriberet, cogitasse Parasitum, et ex indignatione, quod eum faturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit. Haec labia lingvens ut ebrius et ructans utpote satur, actor quoque Grammatici aëvo pronuntiavit.

Caeterum personae tam festivae locos bene multos indulfisse poetam probabile est, in quibus supplendis gestu et differendis, actoris ut audacia et licentia, ita commendatio consisteret.

88) Menächm. I. 4.

89) Phorm. II. 2. init.

90) Donat. ad Phorm. I. c.

*De actione, quatenus praeparaverit Poeta.*

In consideranda corporis eloquentia veterum actorum, ejus curae laborisque non postrema ratio habenda est, quem componentes ad scenam fabulas Poetae adjuvando actionem gestumque praeparando susceperint. Hoc ejusmodi est, ut praeunte Comico, animique motus pro decore personarum in fabula riteque formante: histrionis, sensus personarum efferentis, interpretis actio non possit, quin animi motibus obediat. Proinde qui orationis genus in Terentio (ut hoc utamur) laudaverit facundiamque, in usu communi atque in hominum more et sermone versantem; colores porro, quibus Davum et Herum, Parasitum et Lenonem omnemque omnino personam tractavit atque distinxit, colores scilicet ad eum sensum compositos, ut rei subjectae magis consonos ne acerrimae quidem legentis phantasiae in animo effingere liceat: is igitur, qui haec, modo non temere sed subductis rationibus laudaverit; pronuntiationem simul, *ante laborando a Poeta praeparatam*, vultum quoque, habitum gestumque dicentis ea, quae legas atque animo affigentis, laudasse se sciat. Illarum quippe virtutum ea proprietas est, ea vis, ut natura sua impetum caloremque actioni impertiant, actoris studium accendant omnibusque motibus animi consentaneum vigorem corporis efficiant. Vigore brevitateque, quae Romani sermonis proprietates sunt, id adsecutus Terentius est, ut in alternis sermonibus omnia ardere videantur, verbis in ipso dicente saepe gestum indicantibus vultumque, quo dicantur, atque pronuntiationis adjumenta oculos manusque acuentibus ac velut aculeis excitantibus. Videsne, ut confurgant voces Chaeraeae<sup>91)</sup>, furto suo gaudentis dudumque exoptantis, in cujus sinum gaudium suum effundat. Non solum

91) Eunuch, III. 5. init.



rei gestae narratio verbis inest, sed vehementia etiam gestientis crebrisque saltibus inter verba exsultantis. Cuncta gaudio calent, cuncta plausibus tripudiant. Parmenomen<sup>92)</sup>, pectus suum et arcana Chaereae stolidae nemineque cogente, hero referentem, non audimus solum, sed trepidum quoque et cui lingua haereat metu, oculis usurpamus. Incautus, hanc sibi plagam ipse injiciens, culpam, quam verbis negat:

Quicquid hujus factum est, culpa non factum est mea.  
vultu gestuque confitetur:

Here, ne me spectes, me impulsore haec non facit.

Quid particularum in ironia emphasin memorem, quam recentiores linguae difficulter exaequant, et quarum tanta potentia est, ut gestus a Poeta per fabulam histrionum in gratiam notati vices optimo jure tueantur. Cujusmodi illa irrissio est, qua Thaidi Phaedria respondet<sup>93)</sup>:

Sane quia vero hae mihi patent semper fores.

Quorsum haec? Ut intelligatur actores illius aevi suo sensu suaque sponte id effecisse, quod nunc alienis nervis, alieno impetu mobiles faciunt, atque rem scenicos veterum scriptores ea sapientia instituisse, quae recentiorum, in his Diderotti<sup>94)</sup>, minutius et scrupulosius gestum actoribus suis praescribentium, anxietatem longe superaret.

Verumtamen non omnis gestus ita in medio positus est aut contrectabilis, ut elocutionis vis una monstrare possit ac regere, vel subito motus corporis sumere et aliunde arripere in potestate histrionis sit<sup>95)</sup>. *Insinuatione* poetae opus est, occulte irrepentis in sensus histrionum atque gestum praeludentis. Te-

92) Eunuch. V. 6.

93) ibid. I. 2 init.

94) Vid. ipsum in *Theatro* I. p. 458.

95) Cic. de Orat. I. 59 compar. Lessing *Briefe an Mendelssohn* I. Th. p. 230.

rentio, ut et aliis Comicis nihil ista praelusione familiarius, qua gestus tenorem ab altero in Scenam prodituro sumendum, verbis alterius personae indigitant. Sic Chaereae properantis ac nescio quid circumspicientis gestum miratus Parmeno<sup>96)</sup> exorditur cietque. Haec insinuatō quantas virtutes habeat, hinc colligere licet. Actori gestus sumendi fundamentum quasi ponitur, atque in sensum, quem exigat locus, sese componendi recteque, unde oporteat, incipiendi adminiculum suggeritur. Sic affectum Demeae<sup>97)</sup>, cursu demum orationis tenendum agnoscendumque, quem prima dicentis verba<sup>98)</sup>:

Ehem opportune, te ipsum quaerito

tristem et jurgatorium nondum declarant, Micio impellendo intendit. Causam histrionum hoc juvat.

Aliud ex instantis gestus *praesignificatione* ad coronam spectantium commodi redundat, quod in commendatione personae primum comparentis atque abrupte alias processurae cernitur. Sic Ctesiphonis personae, adhuc ignotae, laetos mores Syrus praenuntians, verbo coronae commendat<sup>99)</sup>. Illud nescio an actionem, qua *vultu* moderanda est, hac via probabiliorem efficere atque spectatori, cujus ob oculos fictitia personae facies versabatur, illudere Poeta ratus sit. Tot tantisque locus de Personis veterum premitur difficultatibus, ut quoties *ardentes* oculos Roscii histrionis in Scena, quos alicubi laudans commemorat Cicero, cogitem reputemque: equidem in summa dissentientium ea de re opinionum diversitate, non possim quin inclinem in sententiam francogalli scriptoris<sup>100)</sup>, eam subtilitatem in

96) Eunuch. II. 2. fin.

97) Adolph. I. 1. fin.

98) Sc. 2.

99) Adolph. II. 2.

100) Mercier sur l'art dramatique p. 353.



Personis statuentis ut et pellucidae essent et tales, subter quas muscoli fibraeque facile micarent.

Enimvero plurimum adest, hoc sive elocutionis vigore, sive praeparationis industria, sive denique insinuationis blanditiis eo pervenerit scenicus poeta, ut veldocendi provincia apud histrionum gregem ipse liberaretur, vel artificum pronuntiandi operam in scena inutilem redderet. Imo partes amborum, fabulas docentium vocemque et gestum in actoribus instruentium formantiumque tam poetarum loca, quam monumentorum ex arte veteri copia ingens loquuntur.

Haec haecenus. Properandum jam ad id, cujus causa hunc scribendi laborem suscepimus. Quippe solemnissima indicimus natalitia Regis Augustissimi CHRISTIANI SEPTIMI, oratione, ut adsolet, ab Universitate nostra castro celebranda. Verba praeibit in Auditorio majori, hora ante meridiem XIma Eloquentiae Professor. Solemnibus dictis ut adesse velitis Universitatis nostrae fautores, amici, cives, ea, qua par est, observantia rogamus. P. P. Kiliae a d. 29. Januarii Anno 1798.

(L. S.)

